

§. 19. Præmittendum (2.) est, quod *τὸ naturale* non unō  
modō accipiatur. *interdum* enim sumitur in communissimo si-  
gnificatu, prout opponitur supernaturali. Sicut autem super-  
naturale dicitur id, quod excedit vires rei naturales; ita natura-  
le h. m. erit id, quod vires rei naturales non excedit. *Deinde* na-  
turale opponitur violento; & sicut violentum est contra incli-  
tionem rei naturalem, ita naturale h. m. erit illud ad quod res  
habet inclinationem; sic lapis inclinationem naturalem habet  
ad motum deorsum, sursum verò projectus violentiam patitur.  
Denique naturale illud vocatur, quod non est præter rei natu-  
ram, sed naturæ rei congruum & consentaneum. Sic metu va-  
cui aërem deorsum & aquam sursum niti videmus, id quod  
non secundū, sed præter naturalem utriusque fit inclinationem.

§. 20. Hisce prænotatis variæ opiniones Autorum circa  
hanc quæstionem sunt proponendæ. Ferrariensis l. 2. contr.  
Gentes c. 83. statuere videtur, statum separationis animæ esse  
violentum, & contra naturam ejus esse, quod sit à corpore se-  
juncta. Potestque pro hac sententiâ talis adferri ratio, quia cum  
anima separatur, *privatur ipsa aliquibus perfectionibus naturali-  
ter sibi debitis e.g. naturaliter anima seipsam communicat cor-  
pori, & juxta quorundam sententiam operationes suas per illud  
elicit; hæc autem in statu separationis animæ amplius non com-  
petere perpalàm est.* Alii tenent, statum animæ separatam esse  
quidem naturalem, quatenus naturale opponitur violento, non  
esse tamen naturalem, quatenus naturale opponitur ei, quod est  
præter naturam. Dicunt igitur animam separatam esse in statu  
non naturali, sed præter naturam. Ita docent *Dd. Conimbr. tr.  
de An. sep. disp. 2. art. 2. & ipsis citantibus Henr. quod l. 7. q. 15.  
Cajetan. 1. p. q. 89.* Alii denique prorsus naturalem vocant sta-  
tum illum animæ; è quorum censu est *Anton. Ruviotr. de An.  
sep. q. 6. s. 81.*

§. 21. Ut constet, quid sentiendum sit, dicendum est (1.) sta-  
tum separationis animæ esse naturalem primō modō, h. e. non  
esse supernaturalem. Probatur hæc assertio (1.) quia ubicunq; da-  
tur supernaturale quid, ibi requiritur specialis Dei concur-  
sus, sic ut ferrum supernaturaliter natet & virgo pariat, non suf-  
ficit